

DECRETVM EVGENII PAPAE III.

ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotij talis est. Accipe potestatem offerendi sacrificium in ecclesia pro viuis & mortuis. In nomine patris & filij & spiritus sancti & sic de aliorum ordinum formis prout in pontificali Romano late continetur. Ordinarius minister huius sacramenti est episcopus. Effectus augmentum gratiae, vt quis sit idoneus minister.

¶ Septimum est sacramentum matrimonij, quod est signum coniunctionis Christi & ecclesiae secundum Apostolum dicentem: sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in ecclesia. Causa efficiens matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus. Assignatur autem triplex bonum matrimonij. Primum est proles suscipienda & educanda ad cultum dei. Secundum est fides, quam vnus coniugum alteri seruare debet. Tertium indiuisibilitas matrimonij, propter hoc quod significat indiuisibilem coniunctionem Christi & ecclesiae. Quamuis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere phas est, cum matrimonij vinculum legitime contracti perpetuum sit.

¶ Sexto, compedirosam illam fidei regulam per beatissimum Athanasium aeditam ipsis praebemus oratoribus cuius tenor talis est. Quicumque vult saluus esse &c.

¶ Septimo, decretum vnionis cum Graecis consumatae pridem in hoc sacro oecumenco Elorentino Concilio promulgatum, cuius tenor talis est Eugenius &c. Laetentur caeli &c.

¶ Octauo, cum inter alia sit etiam cum ipsis Armenis disputatum, quibus diebus festiuitates Annuntiationis beatae Mariae virginis, Natiuitatis beati Iohannis Baptistae, & consequenter natiuitatis & circumcisionis domini nostri Iesu Christi, ac praesentationis eiusdem in templo, seu purificationis beatae virginis Mariae celebrari debeant, satisque dilucide veritas patefacta fuerit, tam sanctorum patrum testimonij, quam consuetudine ecclesiae Romanae, & omnium aliarum vniuersaliter apud Latinos & Graecos, ne igitur in tantis celebritatibus dispar sit Christianorum ritus, vnde perturbatae charitatis occasio possit oriri, decernimus tanquam veritati & rationi consentaneum, & iuxta totius reliqui orbis obseruantiam ipsi etiam Armeni festum Annuntiationis beatae Mariae, die vicesimaquinta Martij, Natiuitatis beati Iohannis Baptistae vicesimaquarta Iunij, Natiuitatis vero secundum carnem saluatoris nostri vicesimaquinta Decembris, Circumcisionis eiusdem primo Ianuarij, Epiphaniae sexto eiusdem Ianuarij, Praesentionis domini in templo, seu purificationis dei genitricis secunda Februarij debeant solenniter celebrare. His omnibus explicatis, praedicti Armenorum oratores nomine suo & sui patriarchae & omnium Armenorum hoc saluberrimum synodale decretum cum omnibus suis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, praecceptis, & statutis omnemque doctrinam in ipsa descriptam, necnon quicquid tenet, & docet sancta sedes Apostolica & Romana ecclesia cum omni deuotione & obedientia acceptant, suscipiunt, & amplectuntur. Illos quoque doctores & sanctos patres, quos ecclesia Romana approbat, ipsi reuerenter suscipiunt, quasunque vero personas, & quicquid ipsa Romana ecclesia damnat, & reprobat, ipsi pro reprobatis & damnatis habent, proficientes, tanquam veri obedientiae filij nomine quo supra ipsius sedis Apostolicae ordinationibus & iussionibus fideliter obtemperare. Datum Florentiae in publica sessione synodali solenniter in ecclesia maiori celebrata. Anno

domini, M. CCCC. XXXIX. diei

mo Kalendas Decembris, pontificatus nostri Anno

nono.

